



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 8. Iudæi Christo illudentes, vicißim ludibrium facti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

§. VIII.

Iudai Christo illudentes, vicissim ludibrium facti.

7. Nocte sacra Iudæi varijs modis Christo illuserunt, atque ex eo risui suo spectaculum fecerunt. Alij cachinnis exceperunt; alij fœda illi phlegmata in faciem iecerunt, alij venerandos illi oculos velauerunt; alij ei alapas dederunt, & tamquam falsum Prophetam, sibi prophetare eum iusserunt, à quo percussus esset? Igitur postea, ut eadem illis mensura remetiretur, ad immensa eorum mala & illud accessit, quòd pseudopropheta diceret, Deum omnibus polliceri salutem, qui in templum ascenderent: huic quicumq; fidem habuerunt, atque eò ascenderunt, quorum fuere ad sex milla, incendio consumpti sunt. Addit Iosephus, à seditiosis tyrannis, qui tum Hierosolymis erant, superinductos fuisse pseudopphetas multos, qui denuntiarent populo, ut expectarent auxilium Dei, ne fugerent, aut deditionem facerent, ut sic vana spe deceptos intra mœnia continerent. Ad quos pseudopphetas aspexit Christus, illis verbis: *Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est* Matthæi *Christus, aut illic, nolite credere: Ecce in de-* 24

Ioseph. de
bell. Iud.
l. 7. c. 11.

Vide S.
Augustin.
ep. 80.

Luc. 18.

Ioseph.
lib. 7. de
bell. c. 13.

serto; nolite exire: Ecce in penetralibus; nolite credere. Surgent enim pseudoChristi, & pseudoprophetae. Animaduertit ex Iosepho Baronius, cum esset in oraculis, appropinquasse jam tempus, quo ex Iudæa proditurus esset homo, qui summa rerum potiturus, & toti terrarum orbi dominaturus esset, quemque seditiosorum principum, ut se esse illum persuaderet, adseiuisse sibi pseudoprophetas, qui eadem in populum diulgarent; ut hac etiam arte populi gratiam concilians, velut diuinitus sibi concessum imperium auspicarentur. Quò allusit Christus illis verbis: *Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo, dicentes: Quia ego sum; & tempus appropinquauit. Nolite ire post eos.* Sic verum Prophetam contemnentem à falsis seduci meruerunt. Ut de Zelotis nihil dicam. Sed & qui Christum ludibrio habuerunt, & spectaculi loco conspuerunt, postea à Tito capti, in theatra pro spectaculis introducti sunt; ubi se ipsos conficere, cum bestijs pugnare, & similia tragica ludicrè facere debuerunt. adeò ut Titus fratris sui Domitiani Natali die 24. Octobr. Anno Christi 73. Casarem in spectaculum produxerit tantam multitudinem,

tudinem, vt ultra duo millia & quingenta Iudæorum fuerint occisa. *I nunc & verbis, virtutem illude superbis, I, & dic, sanguis eius super nos, & super filios nostros. I, Iude cum*

Matth.

27. 25.

Prou. 1.

26.

Deo ; qui ait, *se quoq; in interitu tuo risurum.*

§. IX.

Iudæi Christum veste spoliantes spoliati quoque ipsi fuerunt.

8. Iudæi Christum sæpius veste exutum inuerecundè nudauerunt, exposuerunt oculis irrisorum, virgis, flagris miserandum in modum ceciderunt. Vt par pari referretur, etiam ipsi, in hac obsidione, à tyrannis in vrbe, & famelicis prædonibus sunt spoliati, profugi autem ex vrbe, vestibus, pecunijs, vita exuti. Quin Syri & Arabes in militiam adlecti, in discissis ventribus eorum pecuniam quæsiuerunt. Et quidem vna nocte duo millia Iudæorum laniata sunt ad hunc modum, in quorū fugitiuorum visceribus aurum quærebatur. Et plures fuissent ad hunc modum mactati, ni Titus id mandato prohibuisset. *In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Virgineum corpus denudastis, vestibus ac vita exuendi fuistis & ipsi, qui pudorem dudum exuistis.*